

ostendunt angelorum existentiam. Opera enim eorum evidenter superant vires totius naturæ, et Deo salva infinita sanctitate sua tribui nequeunt; ergo.

R. N. A. Effectus illi mirabiles aut Deo immediate, si nullam inordinationem contineant, aut animabus a corpore separatis bonis vel malis tribui possunt, maxime cum animæ a mortali corpore solutæ plus possint in corpora, et proxime ad virtutem angelorum accedant. Adde, quod *speciali virtute* a Deo instrui possint. Denique falsum est quod eorum opera vires totius naturæ superent.

Inst. 4. Naturaliter constat *moveri cælos*, non a propria forma sive anima; ergo ab *Intelligentia*, quæ angelus est.

R. Non fert hodie Genios cælorum navarchos sanior Philosophia, quæ docet astra moveri a principio motus naturalis, uti aliis corporibus, ita et cælestibus a primo Motore inditi.

ARTICULUS II.

A QUO, QUANDO ET UBI ANGELI SINT PRODUCTI?

6. *Nota.* Manichæi et Priscillianistæ docuerunt, angelos extitisse ex substantia Dei: Platonici et Avicenna somnarunt, a Deo solam aliquam intelligentiam primam esse productam, ab hac secundam, et sic deinceps. Circa tempus creationis angelorum variant sententiæ. Auctores alii *ante*, alii *post*, alii *cum mundo visibili* creatos esse angelos decernunt. Magis dubius est locus creationis; siquidem nec clare sit revelatum, nec ab *Ecclesia* definitum, nec consensu SS. Patrum sancitum, productos esse angelos aut in *cælo empyreo*, aut in *alio inferiore*; hinc

7. *Dico I.* Angeli omnes sunt creati a Deo; est de fide.

Prob. 1^o. Ex APOST. ad Coloss. 1. 16. *In ipso* (Christo) *condita sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, sive THRONI sive DOMINATIONES, sive PRINCIPATUS, sive POTESTATES.* 2^o. Ex SYMB. NIC. *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium.* 3^o. Ex CONCILIO LATER. IV. cap. *Firmiter* supra laudato.

8. *Dico II.* Angeli non sunt producti ab æterno, nec ante vel post, sed cum mundo corporeo.

Prob. 1^{um}. Coloss. 1. 16. et 17 dicitur: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes.* *Conf.* ex cap. *Firmiter*; id tamen de fide esse negant Cajetan., Bannez, Sixtus Sen. et alii.

Prob. 2^{um}. 1^o. Ex Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cælum et terram*, id est, juxta S. EPIPH. loco infra cit., S. AUG. de Civit. Dei, L. 11. c. 9. et alios, in principio temporis, vel antequam quidquam creasset: ubi sub nomine *cæli* comprehensos fuisse *angelos cæli incolas*, existimat Procopius, ne substantiæ increatæ viderentur, si eorum productionem Scriptura plane tacuisset. 2^o. Ex verbis cap. *Firmiter*: *qui sua omnipotenti virtute SIMUL AB INITIO TEMPORIS utramque de nihilo condidit creaturam.* 3^o. Ex SS. PP. EPIPHAN. hæres. 63. n. 5. *Illud evidenter Divinus sermo declarat, neque post sidera*

productos angelos, neque ante cælum terramque constitutos. Est enim certa illa et immutabilis sententia: ante cælum ac terram nihil omnino conditarum rerum existitisse: quoniam in principio creavit Deus cælum et terram, ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit. Idem docent S. GREG. L. 28. MOR. c. 7. (al. 14. n. 34.). D. THOM. hic q. 61. a. 3. in 0. S. AUG. L. 11. de Civ. c. 9. Oppositum tamen dicit c. 32. posse defendi, quin aberretur a regula fidei. V. PETAV. de Angelis L. 1. c. 13.

Si ais. Multi PP. ORIG. hom. 1. in Gen. n. 2. et in Matth. t. 13. n. 27., BASIL. homil. 1. in Hexam. n. 5., GREG. NAZ. tum Or. 38. n. 9. et 10., tum Or. 43. n. 5. et 6., CHRYSOST. L. 1. ad Stagirium n. 2. (opp. t. 1. p. 138. A.), DAMASC. de fide Orthod. L. 2. c. 3. et alii docuerunt angelos ante mundum corporeum fuisse creatos.

R. Patres illi in hoc lapsi videntur: nam imprimis plures Patres sentiunt nobiscum, imo *Latini* omnes qui post S. AUG. scripserunt. Dein prævalet illis auctoritas C. LATER., quod aperte favet nostræ sententiæ, imo juxta multos eam definivit. Saltem post illud CONCILII sine nota temeritatis negari non potest assertio nostra.

9. *Dico III.* Angeli omnes creati sunt in cælo.

Prob. Luc. 10. 18. dicitur *dæmon cecidisse de cælo*: Apocal. 12. 7. *factum fuisse prælium magnum in cælo etc.*

Conf. Juxta D. THOMAM hic q. 61. a. 4. in 0. *Conveniens fuit, quod angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes.* Utrum autem in *cælo empyreo* creati sint; alii negant, ex eo quod non decuerit beatorum sedem inquinari peccato et turbari prælio; minus etiam locus termini conveniret statui viatorum. Alii affirmant, eo quod cælum supremum primitus creatum fuerit: neque ob stare dicunt illud Isa. 4. v. 13. et 14. *In cælum conscendam..... ero similis Altissimo*, cum hæc verba solum metaphorice expriment superbiam Luciferi, ad litteram de rege *Babylonis* intelligenda: alioqui etiam v. 14. ibidem, *ascendam super altitudinem nubium*, probaret angelos infra nubes creatos fuisse. Verum, quia cum Scriptura quoque SS. Patres silent, supersedemus multa desuper altercari.

ARTICULUS III.

AN SINT ANGELI OMNINO INCORPOREI?

10. *Nota.* SS. Patres *corporeum* aliquando sumunt *latius* pro omni eo, quod veram ac realem entitatem habet, uti S. AUG. ep. 28. (al. 166. n. 4.) ad HIER.; aliquando pro eo, quod loco determinatur finito, ac mutationi obnoxium est: utroque hoc sensu angelos dicere *corporeos* nil vetat. Corporeum autem *proprie et stricte* dicitur, quod habet molem, sive partes extra partes diversis loci partibus correspondentes; et de hoc est quæstio, ac duplex quidem, *prima*: An sint angeli *pure* corporei? *secunda*: An sint *ex parte* corporei, sive compositi ex corpore et ex spiritu? Quamvis autem nonnulli Patres *Platonem* secuti primum videantur asserere; tamen facile explicantur ad secundam sententiam, et gemina ratione convincuntur: 1^o. Quia *pure* corporeum nec aliquid intelligere, nec velle potest. 2^o. Quia

in Scriptura, ubi angeli dicuntur spiritus, notio *spiritus* opponitur rei proprie corporeæ, v. g. ad Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio* etc. Proin de altero solum quæstio est, an scilicet angeli nequidem *ex parte* sint corporei, nec corpus tenuissimum ac subtilissimum habeant?

11. *Dico.* Angeli sunt omnino incorporei.

Prob. I. Angeli tum boni, tum mali passim in Scriptura vocantur simpliciter spiritus, Psal. 103. 4. *Qui facit angelos suos spiritus...* Hebr. 1. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus?* Luc. 10. 20. *Spiritus subjiciuntur vobis*, et c. 11. 26. *Assumit septem spiritus nequiores se* etc. Atqui nomen spiritus, quando in Scriptura simpliciter usurpatur, et præcipue quando rebus intellectivis, aut his, quæ opponuntur corporibus, attribuitur, significat rem pure spiritualement et incorpoream; ergo. *Min. patet.* Ut dum tribuitur Deo et animæ rationali, Joan. 4. 24. *Spiritus est Deus*; Matth. 26. 41. *Spiritus promptus est, caro autem infirma*; cum tamen Scriptura neget, homines etiam post resurrectionem esse spiritus Luc. 24. 30., quia non sunt pure spirituales.

II. In Conc. CONSTANTIN. III. Act. 11. in epistola SOPHRONII (Labb. t. 6. p. 881. C.) animæ rationales et angeli statuuntur in ordine *intellectualium*, id est, spiritualium substantiarum. In Nic. II. Act. 4. (Labb. t. 7. p. 733. E.) angeli vocantur *intellectuales virtutes*. In LATER. IV. cap. *Firmiter* dicuntur *creatura spirituales*, ut oppositæ corporeis et compositis ex corpore et spiritu; ergo.

III. S. BASIL. cont. Eunom. L. 5. init. (opp. t. 1. p. 296. C.): *Cum, ait, creatura in duo dividatur, in corporea et incorporea; mutatio quoque illius divisa est... Incorporea et rationalia secundum operationem et voluntatem admittunt mutationem, secundum illud, angelis peccantibus non pepercit.* S. JOAN. DAMASC. L. 2. de fide c. 3. *Angelus est essentia intelligens, perpetuo motu atque arbitrii libertate prædita, corporis expers.* S. GREG. NYSS. hom. 4. de Orat. Dominica. (opp. t. 1. p. 743. B.): *Omnis creatura rationalis partim in corpoream, partim in incorpoream naturam divisa est: est autem angelica quidem incorporea: altera vero species, nos homines sumus.* S. GREG. M. L. 4. Dial. c. 3. *Spiritus est qui carne non tegitur, angelorum.* Idem docent LAC-TANTIUS, L. 7. c. 21. init., AMBROS. in Luc. L. 7. c. 12. v. 27. 28. n. 126., LEO epist. 15. ad Turribium, c. 6. etc. V. PETAVIUM, de Angelis, L. 1. c. 3.

Conf. Si angeli naturaliter sibi juncta habent corpora; ergo animæ rationales essent angelis præstantiores, et homines illis similes in natura: cum tamen Psal. 8. 6. dicatur: *Minuisti cum paulo minus ab angelis*, ex quo infert Apost. Hebr. 2. 9. *Christum secundum naturam humanam præcise angelis inferiorem esse: neque concipi posset, quomodo Luc. 8. 30. tota legio demonum unum obsidere hominem potuisset; denique dici non posset, ad quem usum membra et partes haberent, cum intellectiones et volitiones eorum his non indigeant, et motus etiam localis sine his explicari queat; ergo.*

12. *Obj. I.* S. Scriptura et Historiæ profanæ tribuunt angelis *naturam corpoream*; ergo non sunt incorporei. *Ant. prob. 1^o.* Gen. 6. 4. dicitur quod ingressi sint *fili* Dei, id est, juxta antiquam versionem, quam sequuntur

multi Patres, *angeli ad filias hominum*, illæque genuerint gigantes. 2^o. Testantur Scriptorum sacri et profani, *maleficos* et *lamias* carnaliter commisceri cum dæmonibus, quin et ex dæmone incubo subin prolem esse natam; ergo.

R. Ad prob. 1^{am}. Scriptura tum *Vulgata*, tum *Hebraica*, tum *Versio* 70. *Interpr.* correctior legit *fili* Dei, ut notant SS. AUG. et CYRILL.; erronee vero nonnulli Patres per *fili* Dei intellexerunt *angelos*: non enim intelliguntur angeli boni, tum jam beati, qui, pronuntiante Christo Matth. 22. 30., *non nubunt, neque nubuntur*; non mali, qui non filii, sed inimici Dei in Scriptura vocantur; intelliguntur ergo filii SETH et ENOS, quos Scriptura dicit *fili* Dei, quia apud ipsos vigeat verus Dei cultus; et per *fili* hominum, filia Cain sive Cainitarum, ex quibus gigantes prognati sunt. Ita exponunt SS. CHRYS. AUG. CYRILL. ALEX. et D. THOM.; idque evincunt verba contextus v. 5. et 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra... pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.*

R. Ad prob. 2^{am}. D. A. Commiscentur cum dæmonibus in corpore proprio N. In alieno, scilicet vel corpore defuncti assumpto, vel novo ex aere aliisve elementis ad similitudinem carnis effecto C. *Securum* etiam, quem dæmones non habent natura, artificiose exhibere possunt. Item: ex dæmone nascitur proles vi propria et nativa dæmonis N. per semen aliunde furtive sublatum C. Unde etiam hæc generatio non tribuitur dæmoni tanquam patri, sed homini, cujus est semen, ut advertit D. THOM. Quæst. 6. de *Miraculis* a. 8. ad 7.

Inst. 1. Angelis conveniunt actiones et passiones corporeæ; ergo sunt corporei. *Prob. A. 1^o.* Certis limitibus circumscribuntur. 2^o. Possunt ligari, ut Asmodeus a Raphaele in deserto Tob. 8. 3.—3^o. Torquentur igne corporeo; ergo.

R. Ad prob. 1^{am}. D. A. Circumscribuntur limitibus essentialibus C. localibus sive corporalibus. N. Quælibet nempe creatura *circumscriptionem naturæ* habet, quamvis non omnes quantitative *locis corporalibus contineantur*, ut cum S. THOM. 1. q. 50. a. 1. ad 3. ait D. AMBR. de Sp. S. L. 1. c. 7. n. 81.

Ad prob. 2^{am}. D. A. Possunt ligari proprie, physice, seu vinculo corporeo N. improprie, moraliter, seu Dei imperio C. Eodem sensu dæmones dicuntur *detracti rudentibus* in tartarum 2. Petr. 2. 4.

Ad prob. 3^{am}. D. A. Torquentur igne corporeo, vi naturaliter et physice agente N. supernaturaliter vel moraliter agente C. De hoc infra.

Inst. 2. Angeli habent aliquam antipathiam et sympathiam cum rebus corporeis: nam dæmon ad cytharæ pulsum recessit a Saule, 1. Reg. 16. 23. Fugatus est fumo jecoris, Tob. 6. 19. Delectatur *locis humidis* et palustribus, Job. 40. 16.; ergo.

R. Ad prob. 1^{am}. D. A. Habent antipathiam et sympathiam ortam ex temperamento humorum, vel appetitu sensitivo N. aliunde ortam C. Fugatio dæmonis facta est vel vi sacri hymni, vel musica directe egit in Saulem, temperando pravos humores, indirecte in dæmonem his abutentem ad turbandum Saulem.

Ad prob. 2^{am}. Fumus ille jecoris fugavit dæmonem *moraliter*, ut religiosa fumigatio conjuncta precibus et exercitio castitatis, Christum amoris igne combustum præsignans, uti exponunt SS. AUG. et PROSPER.

Ad prob. 3^{am}. Per loca humida et palustria tropice intelliguntur animæ voluptatibus et luxuria diffluentes, ut exponit *Glossa*: his quippe dæmones maxime delectantur; sic etiam juxta S. AUG. de Civit. Dei. L. 10. c. 19. delectantur fumo non sensibiliter, sed *intelligibiliter*, quia scilicet signum est sacrificiorum, quibus delectantur, dum sibi ab idololatriis offeruntur: ita S. THOM. hic q. 115. a. 5. ad 3.

Inst. 3. Angeli videntur, tanguntur, hospitio excipiuntur, et comedunt, uti patet in angelis Abrahamo et Jacobo apparentibus, in Raphaelle Tobie comite etc.; ergo. *Conf.* Teste S. AUG. Epist. 49. (al. 102. q. 1. n. 5.) in his operationibus vere locuti sunt, comederunt etc.; quod fieri non potuit sine principio interno vitaliter corpus informante.

R. D. A. Videntur, tanguntur etc. in specie sibi propria et corporibus sibi naturaliter unitis N. In specie aliena et assumpto corpore adscititio C.

Ad Conf. D. A. Vere locuti sunt, comederunt etc., hoc est, in corporibus assumptis veras ac reales operationes exercuerunt C. Hoc est, actiones vitales et proprie exercuerunt N. *Non ficto et inani phantasmate*, ut loco cit. ait AUG. *sed manifestissima veritate* angeli actiones secundum speciem externam similes locutioni, comestioni et aliis faciebant, cum per assumpta corpora sonum articulatum in aere excitarent, cibum frangerent et comminuerent, motum conficerent etc.; non tamen vera omnino locutio, comestio et bibitio erant, quæ de sui ratione postulant fieri a principio vitaliter informante; unde et Raphael, Tob. 12. 19. inquit: *Videtur quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili utor.*

13. *Obj. II.* In SYN. GENER. VII. Act. 5. definitum est, angelos pingendos esse, quia corporei sunt: recitato enim Dialogo JOANNIS THESSAL. (Lab. t. 7. p. 354.): *De angelis et archangelis.... intelligibiles quidem eos Catholica et Apostolica novit Ecclesia, non tamen incorporales omnino et invisibiles.... subtiles autem corpore et aereos, et igneos*: TARASIVS Patr. Const. CONCILII Præses sic est locutus (ib. p. 355. B.): *Ostendit Pater (JOANNES THESSAL.) quod et angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines multis apparuerunt: cui universa Synodus statim respondit: Etiam Domine*; ergo sensus Ecclesiæ est angelos esse corporeos.

R. N. C. Nam 1°. Deceptus est JOANNES, dum aliquorum Patrum sententiam Ecclesiæ sensum dixit. 2°. Non definivit CONCILIVM, angelos esse corporeos, sed tantum posse depingi, quin TARASIVS hac conclusione rationem corporeitatis angelicæ afferret, errore JOANNIS prudenter suppresso: aut quin CONCILIVM illam rationem approbaret, prout liquet tum ex scopo CONCILII, qui fuit, ut statueretur *usus SS. Imaginum*, ad quem sufficiebat, licitum esse pingere angelos: tum quia Act. 4. CONCILIVM jam retulerat et probaverat sententiam S. ATHANASII asserentis angelos esse incorporeos.

Inst. JOANNES THESS. docuit angelos esse corporeos, atque ideo posse depingi: sed CONCILIVM probavit hanc illationem per illa verba, *Etiam Domine*; ergo probavit angelos esse corporeos.

R. D. M. Docuit duntaxat angelos esse corporeos N. Docuit esse corporeos, et humana specie multis apparuisse, ideoque pingendos esse C. Ut vero CONCILIVM probaret hanc illationem, *angeli pingi possunt*, sufficit veram esse aut unam aut alteram partem propositionis hypotheticæ. Sed angelos

constare proprio corpore, et in proprii corporis specie apparuisse, id quidem nec SYNODUS approbavit, nec ad quæstionem propositam de pingendis SS. angelorum iconibus spectabat. Demum verba illa, *Etiam Domine*, non continent definitionem, quia solum inter consultandum prolata. V. PETAVIVM L. 1. c. 2. n. 7.

14. *Obj. III.* Veteres Ecclesiæ Scriptores, IREN. TERTUL. HIL. AMBR. et alii constanter docuerunt angelos esse corporeos; et SS. AUG. et BERN. de hac re dubitarunt; ergo.

R. 1°. Fateor aliquos Patres in ea sententia fuisse, quam tamen non ex Scriptura, neque ex Traditione, sed ex *Platonis* Philosophia hauserunt, iisque oppono auctoritates num. 11. pro nobis relatas; unde liquet quod pars sanior ac melior stet pro nostra sententia.

R. 2°. Multi ex illis Patribus, qui angelis tribuunt corporea aerea, loquuntur non de propriis, sed assumptis eorum corporibus. Alii negant angelos esse incorporeos, non absolute, sed comparative ad Deum, qui solus ita est incorporeus, ut sit infinitus, immensus, expers omnis compositionis. Aliqui tantum volunt angelos esse veras et reales substantias in sensu num. 10. indicato, prout APOST. dicit, Divinitatem in Christo habitare *corporaliter*, id est, *vere realiter*. Demum alii solum dubie, non assertive loquuntur.

Inst. 1. Si angelorum natura extra omnem omnino materiam est; ergo etiam excludet omnem compositionem: sed id negant SS. Patres et Theologi; ergo.

R. D. seq. M. Omnem compositionem physicam, essentialem et integram C. metaphysicam et accidentalem N. Compositionis essentialis nullum in angelis vestigium est, nulla necessitas, sive ad vitales operationes intelligendi et volendi, sive ad motum localem et actus potentie executive; idem est de integrali, cum nulla substantia spiritualis sit divisibilis in partes integrantes. Metaphysicam non excludit, quia definiri potest: nec accidentalem ex subjecto et accidentibus, quia recipit suos actus, cum natura angelica non sit actus purus; atque sic differt satis a simplicitate Dei.

Inst. 2. Attamen dici non potest, quod de fide sit angelos esse incorporeos.

R. Quamvis contrariam opinionem primo millenario toleratam fuisse inter Christianos, ex Hist. Eccl. colligat NATALIS Alex.; tamen secundo millenario, præsertim post C. LATER. IV. Theologi duce MAGISTRO SENT. uno velut ore (si EUGUBINUM et CAJETANUM excipias) naturam angelicam extra omnem utut subtilissimam materiam collocant, adeo ut contrarium censeatur error temerarius, quamvis dicere hæreticum aut hæresis proximum, graves Auctores renuant.

QUERES: *Sintne Angeli incorruptibiles ac immortales?*

15. *Nota.* Quod nunquam desinit existere, si non est vivens, dicitur *incorruptibile*: si est vivens, *immortale* dicitur. Immortalitas triplex est: 1°. *Essentialis*, sive omnimoda et absoluta existendi necessitas: hanc solus Deus habet. 2°. *Naturalis*, vi cujus ens creatum, ex hypothesi semel acceptæ existentie, exigit in perpetuum conservari, licet per absolutam Dei potentiam sit destructibile: talis competit anime rationali. 3°. *Gratuita*, quæ quidem in

se habet principium destructionis, sed ex sola Dei gratia vindicatur ab interitu: talem habuisset ADAM, si non peccasset. De naturali immortalitate quaeritur.

16. *Respondeo*: Angeli sunt naturaliter immortales.

Prob. I. Ex iis omnibus SCRIPTURÆ textibus, qui angelis bonis æternam gloriam, malis æterna supplicia statuunt: Sic LUC. 20. 36. dicitur, homines angelis æquales in resurrectione ultra mori non poterunt; ergo angeli boni nunquam sunt desituri. De malis idipsum constat ex Matth. 23. 41. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus.*

II. EX CONCILIIIS. Act. 11. SYNOD. VI. lecta et approbata est epistola SOPHRONI PATR. HIER. (Labb. t. 6. p. 881. C.) in qua tum angeli, tum animæ hominum immortales esse dicuntur.

Conf. Ex paritate cum anima rationali, de qua in C. LAT. V. sub LEONE X. Sess. 8. (Labb. t. 14. p. 187.) definitur, quod sit *immortalis*; ergo a potiori angelus natura perfectior.

III. EX PATRIBUS quorum plures, præcipue SS. CYRILL. ALEX. et DAMASC. recitantur apud SUAREZ, de Angelis, L. 1. c. 9. qui angelos *immortales*, et in eadem naturæ substantia *immutabiles* dicunt.

Conf. ratione: Substantia pure spiritalis et incorporea, quales esse angelos diximus, debet dici *naturaliter immortalis*: cum quælibet res naturaliter appetat sui conservationem; et nihil est intrinsecum sive extrinsecum, quod angelorum destructionem natura sua exigat etiam pro bono universi; neque ab ullo agente creato destrui possunt; neque cessat finis eos conservandi.

Si ais 1º. In epist. SOPHRON. Act. 11. SYN. VI. dicitur: *Angeli immortales perseverant, non naturam revera incorruptam propriæ immortalitatem habentes essentiam, sed gratiam a Deo sortiti*; ergo angeli non sunt naturaliter immortales.

R. D. A. Non habent immortalitatem absolutam, immortalitate absoluta, essentiali et independente C. Participata et dependente N. CONCILIIUM duntaxat angelos negat immortales *essentialiter*, de quo 1. Tim. 6. 16. dicitur: *Solus Deus habet immortalitatem.*

Si ais 2º. SS. Patres CYRILL. ALEX. Thesaur. L. 20. (Opp. t. 3. p. 204. C.), et DAMASC. de fide L. 2. c. 3. dicunt angelos natura non esse immortales, quia, quidquid initium habet, etiam suapte natura finem habet.

R. D. A. Non esse immortales natura, id est, ex vi essentialis suæ, a se et independentem a divina productione ac conservatione C. Natura, id est, ex suis principiis naturalibus, participatis quidem a Deo, sed perpetuo durare appetentibus N. Hanc duplicem *immortalitatis* notionem a SS. Patribus admissam fuisse, constat ex eorum verbis et adjectis rationibus.

Si ais 3º. SS. IREN. L. 2. c. 64. (al. 34. n. 3.), AMBR. de fide L. 3. c. 3. n. 19. 20., AUG. ep. 59. (al. 118. n. 15.), HIL. in Ps. 148. n. 5. angelos dicunt immortales per *voluntatem, bonitatem et gratiam* Creatoris: IREN. loco supr. cit. et alii, angelos ex se esse mortales: TATIANUS, Orat. cont. Græc. n. 14. angelos jam esse mortuos asseverat.

R. Ad 1ºm. D. A. Per gratiam, qua voluit DEUS angelos creare et conservare immortales C. Qua tanquam beneficio aliquo ordinis supernaturalis angelos

ab intrinseco mortales vindicat ab interitu N. Creationis ac conservationis beneficium etiam a SS. Patribus vocari gratiam, constat ex AUG. epist. 95. (al. 117. n. 7.).

Ad 2ºm. D. A. Angelos ex se mortales asserunt nixi falso supposito, quo statuerunt esse corporcos C. Ex vero supposito, angelos esse spirituales ac incorporeos. N.

Ad 3ºm. D. Angelos asseverat mortuos moraliter, peccando C. Physice per dissolutionem vel interitum N. Vide PETAV. de Angel. L. 1. c. 5. et L. 3. c. 4. n. 12. Reliqua, quæ hic obijci possunt, sunt philosophica, quæ discutit *Psychologia*.

ARTICULUS IV.

QUIS SIT NUMERUS, QUÆ DIVISIO ET DISTINCTIO ANGELORUM?

17. *Nota.* Quam est incertum dicere, quantus sit angelorum numerus: tam est indubitatum, dari diversos ordines sive Choros angelorum; id tamen negant ERASMUS et BEZA. Circa quæstionem de angelorum differentia, triplex sententia est: 1º. D. THOM. et *Thomistarum*, omnes omnino angelos inter se differre specie: 2º. S. BASILII L. 3. contra EUNOM. (opp. t. 1. p. 272. C.) omnes omnino angelos tantum numerice inter se differre: 3º. Angelos diversorum ordinum differre inter se specie, quæ differentia consistat in naturali potentia simplicius et universalius objecta intelligendi: angelos vero ejusdem ordinis *solo numero* distingui. Demum *Hierarchia* vi nominis sacer principatus est, quoad rem certus angelorum numerus, qui sibi invicem, ac uni tanquam principi, in ordine ad cælestes actiones, subordinantur.

18. *Dico I.* Angelorum numerus est longe maximus.

Prob. Quia Hagiographi, JOB 25. 3. DANIEL 7. 10. S. PAULUS Hebr. 12. 22. S. JOANN. in Apocal. 5. 11. eundem per millenarios denariis et centenariis multiplicatos exprimere conantur, substituto quippe hoc numero finito pro quovis indefinito. D. THOM. hic q. 50. a. 3. in 0. dicit numerum angelorum incomparabiliter superare numerum substantiarum materialium, idque confirmat auctoritate S. DIONYSII c. 14. de cæl. Hier., aut quicumque Auctor hujus antiquissimi libri fuerit. V. PETAV. L. 1. c. 14. n. 8.

19. *Dico II.* Novem sunt angelorum Ordines sive Chori.

Prob. Isa. 6. 2. dicitur: *SERAPHIM stabant, sex alæ uni, et sex alæ alteri.* Ezech. 10. 3. *CHERUBIM autem stabant à dextris domus.* 1. Thess. 4. 13. *Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli etc.* Rom. 8. 38. *Certus sum, quia... neque ANGELI, neque PRINCIPATUS, neque VIRTUTES.* Coloss. 1. 16. *sive THRONI, sive DOMINATIONES, sive PRINCIPATUS, sive POTESTATES*; sunt ergo septem enumerati ab APOSTOLO angelorum ordines, quibus si addantur *CHERUBIM* et *SERAPHIM* ex *Prophetis*, novem stant ordines cælestis exercitus.

Conf. Ex constanti traditione SS. Patrum, quos inter S. GREG. hom. 34. in Evang. n. 7. ita scribit: *Novem angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro Eloquio, scimus ANGELOS, ARCHANGELOS, VIRTUTES, POTE-*

STATES, PRINCIPATUS, DOMINATIONES, THRONOS, CHERUBIM atque SERAPHIM. V. PETAV. de Ang. L. 2. c. 1.

20. *Dico III.* Hi novem angelorum Ordines distribuuntur in tres Hierarchias.

Prob. Ex mirabili consensu Patrum et Theologorum, post S. DIONYS. L. de coel. Hier. c. 8. §. 2. Prima et suprema Hierarchia continet CHERUBIM, SERAPHIM et THRONOS: Secunda DOMINATIONES, PRINCIPATUS et POTESTATES: Tertia, VIRTUTES, ARCHANGELOS et ANGELOS. SS. Patres si quando quatuor tantum ordines recensent, reliquos non excludunt, et alibi referunt. Dum Can. *Hi duo*, D. 1. de Consec. decimum angelorum ordinem per superbiam corruisse memorat; sensus est, tantum fuisse lapsorum numerum, ut potuisset decimum ordinem constituere; qui decimus ordo dicitur ex hominibus reparari: *Glossæ* autem, quæ ait: *Nomen decimi ordinis non habemus*; respondet alia *Glossa* his verbis: *Nec habere possumus, cum non fuerint, nisi novem*. V. PETAV. L. 2. c. 3.

21. *Dico IV.* Angeli aliqua ratione inter se discrepant.

Prob. Diversis Hierarchiis, quin et angelis diversorum ordinum conveniunt diversæ proprietates tum ratione diversarum perfectionum intrinsecarum, gratiarum et charismatum: tum ratione ministeriorum, dignitatum et officiorum, prout diversa illorum nomina indicant; ergo inter se differunt: quæ ratione, an omnes specie, an omnes numero tantum, an partim specie, partim numero: nec exploratum est, nec scire admodum necessarium; ita sentit S. AUG., qui L. ad Oros. contra Priscillian. c. 11. ait: *Esse itaque SEDES, DOMINATIONES, PRINCIPATUS, POTESTATES in celestibus apparatus, firmissime credo, et differre inter se aliquid, indubitata fide teneo; sed... quenam ista sint, et quid inter se differant, nescio; nec ea sane ignorantia periclitari me puto*. V. PETAV. L. 1. c. 14. n. 1. et seqq.

22. *Observa.* SS. GREG. hom. 34. in Evang. n. 8. 9. 10. et BERN. de Consid. L. 5. c. 4. n. 8. diversas angelorum perfectiones ac functiones ita exponunt; SERAPHIM Deo maxime conjuncti summa ardent charitate, quam in alios transfundunt: CHERUBIM mira pollent scientia, qua et cæteros illuminant: THRONI speciales sunt inhabitantis Dei Sedes, unde pax et securitas, quam et aliis communicant: DOMINATIONES mira in res creatas potentia eminent: POTESTATES peculiari gaudent auctoritate in dæmones: PRINCIPATUS Omnipotentis majestatem ac dignitatem referunt: VIRTUTES in recipiendis Dei illuminationibus maxime sunt constantes: ARCHANGELI sublimium Dei arcanorum præ alijs consci et nuntii sunt: ANGEI minima nuntiant. Præterea in dæmonibus etiam permansit quedam subordinatio: nam Matth. 9. 34. dicitur de Principe dæmoniorum, et Luc. 11. 18. ait CHRISTUS: *Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?*

CAPUT II.

DE POTENTIS ANGELORUM.

ARTICULUS I.

DE POTENTIS AD ACTUS INTERNOS.

§ I.

Quenam angeli naturaliter cognoscant?

23. *Nota.* Angelos pollere virtute intellectiva, indubium est ex Scriptura, quæ illis Psal. 96., Matth. 8., Psal. 90., Zach. 1., 2. Petr. 2. operationes tribuit, soli naturæ intelligenti proprias. Et vel ipsi gentiles Philosophi idcirco angelos per antonomasiam vocarunt *Intelligentias*. Quenam objecta, ac potissimum an secreta cordium angeli naturaliter cognoscant, hic quæritur. Sub arcano cordium, id est, voluntatis angelicæ et humanæ, non tantum intelliguntur ipsa decreta voluntatis, sed et judicia eorum directiva, consilia, deliberationes, dictamina practica, et omnes actus intellectus ita cum illis connexi, ut hi non possint cognosci, quin illa etiam cognoscantur: qualia sunt actus reflexi, species intentionales ex illis acquisitæ, et habitus relictæ; et de his procedit quæstio, utrum angeli naturaliter certo et evidenter ea cognoscant sine manifestatione naturæ rationalis; de modo cognoscendi angelico, plus philosophica, et minus utilis videtur disquisitio esse.

24. *Dico I.* Angeli naturaliter cognoscunt Deum abstractivè.

Prob. Cognitio quidditativa Dei representat clarè quidditativè Dei, ac proin magnum post se amorem ac gaudium trahens, angelum valde beatum faceret naturaliter: sed hæc non potest esse connaturalis angelis, alias permanens etiam in diabolis, in quibus omnia naturalia sunt integræ, beatitudo tamen nulla; ergo angeli naturaliter non cognoscunt quidditativè Deum, sed, sicut homo ex creaturis, *abstractivè*. Neque ut Trinum cognoscunt Deum naturaliter: nam creaturæ non pendent essentialiter a Personis divinis, ut in proprietatibus distinguuntur, sed ut in essentia unum sunt.

25. *Dico II.* Angeli seipsos, alios angelos, ac substantias omnes ordinis naturalis quomodolibet præsentés cognoscunt quidditativè.

Prob. Omnia hæc objecta sunt per se et naturaliter intelligibilia, angelico intellectui proportionata, eique sufficienter applicata vel per se, vel per species; species autem objecti vicariæ sunt superflue, ubi ipsum objectum præsens est, ac proportionatum; ergo ea omnia quidditativè cognoscunt. My-